

# CARMEN SAECULARE.

---

*Omnis.*

i. **Summe Rex coeli, Moderator orbis,  
Gentis humanae Pater atque Custos,  
Sis, Deus, praesens, Tua templa sancto  
Numine comple!**

*Chorus A.*

ii. **Suscipe et clemens pia corda nostra,  
Accipe et grates, Tibi quas habemus,  
Te celebrantes, Tua magna fata,  
Tempore sacro,**

iii. **Quo bonae ut matris pia festa agamus,  
Nos vocat cunctos gremium in sacratum  
Portae amor nostrae, Tibi iam parantis  
Solvere vota.**

*Chorus B.*

iv. **Nam dies festus rediit, peracto  
Tertio saeclo, celebrandus usque,  
Quo Tuo nutu generosus olim  
Splendida princeps**

v. **Haec Tibi templa, alme Deus, sacravit,  
Ut pii cultus placidique moris  
Esset et mentis celebres per artes  
Sancta palaestra.**

*Chorus A.*

vi. **Quae, velut cautes pelago, procellas  
Temporumque inter stetit et tumultus  
Bellicos immota, perennis atque  
Ardua semper.**

vii. **Fulta enim fundo pietatis alto  
Haec domus, quam sacra cohors per omne  
Tempus insedit, Tua mox datura  
Munera terris.**

*Chorus B.*

viii. **Edocens artes populos salubres,  
Remque divinam et veneranda curans  
Iura et aegrotis medicans, suprema  
Iussa ministrat.**

**ix. Et velut Nilus capite e profundo  
Profluens, cursu viget atque vires  
Auget ac diffundit aquas salubres  
Omne per arvum:**

*Omnis.*

**x. Sic Tua, Rex summe, benignitate,  
Principum curaque et amore in aevum  
Vis salutarisque et aducta crevit  
Gloria Portae.**

*Chorus A.*

**xi. Conditum saeclum, bona avi profectum,  
Prospera eductum, modo cum nitore  
Occidens fausto, Tibi dat perennes  
Laudis honores.**

**xii. Namque doctorum velut astra coelo  
Nomina effulgent, radiatque alumnorum  
Emicans, quos Porta aluit videtque,  
Candida virtus.**

*Chorus B.*

**xiii. Et pudor, mos fasque vigent, honosque  
Redditus virtuti, et amica menti  
Aura Musarum feritatem ab omni  
Pectore pellit.**

**xiv. Non semel circum tonuit quietos  
Bellicus muros strepitus: pericla  
Saeva cum turbis Tua, magne Princeps,  
Dextra fugavit,**

*Chorus A.*

**xv. Et dedit Portae vegetam salutem.  
Fluctuant laetae segetes virentque  
Vitibus colles, gregibusque amoena  
Pascua cudent.**

*Chorus B.*

**xvi. Sub boni regisque manu potente  
Alma pax artesque vigent amanda,  
Aurea et fundit sua dona pleno  
Copia cornu.**

*Omnes.*

**xvii. Ergo Te, Rex sancte, Tuumque nomen  
Condito saeclo celebramus altum,  
Et pias grates Tibi, Rector orbis,  
Semper habemus.**

*Chorus A.*

**xviii. Auspice et Te, summe Parens, inimus  
Haec novi saecli spatia et precamur  
Suplices votis, ut adesse pergas  
Numine sancto**

**xix. Huic domo Portae, Tibi sacra semper  
Quae fuit; sartam et bene tectam ab omni  
Fraude conserves, subolemque remque  
Crescere cures.**

*Chorus B.*

**xx. Fac Tuum numen pia rite adoret,  
Vivat et Portae proba, fida, concors  
Civitas semper, Tua Porta Coeli ut  
Dicta probetur.**

**xxi. Da bonos mores docili iuventae,  
Fac Tuum in nomen, patriae in salutem  
Innocens crescat, studii fidelis  
Ubere fructu.**

*Chorus A.*

**xxii. Da iuventutisque probos magistros,  
Quorum opus non victus amor secundet,  
Et duces Portae atque bonos ministros,  
Et decus omne.**

*Chorus B.*

**xxiii. Da, Deus, Regi stabilem salutem  
Optimo, Augustaeque domo, precamur;  
Floreatque, hoc rege vigens, Borussa  
Patria semper!**

*Omn̄es.*

**xxiv. Sic, Parens orbis, Tua Porta in aevum  
Denuo sit vota Tibi et sacrata !  
Sit Tuo regno, veniente saeclo,  
Porta beata !**

**xxv. Haec, Pater clemens, rata sint, precamur,  
Per Tuum numen, Genitumque magnum,  
Spiritum et Sanctum. Tua sit perennis  
Gloria mundo !**

*Omnis.*

xxiv. Sic, Paren  
Denuo sit  
Sit Tuo re  
Porta

xxv. Haec, Pate  
Per Tuum  
Spiritum e  
Gloria

a in aevum  
ata !  
eclo,

nt, precamur,  
ue magnum,  
sit perennis

